DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
PERIPNEUMONIA NOTHA SYDENHAMI,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI
DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM,
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE OBTINENDA
IN ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Franciscus Lammasch,
Viennensis.

In theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die mensis Maji 1835.

VINDOBONAE.
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

ATQUE

DOMINO DOMINO

HENRICO

NOBILI A

BÖHM,

JUNIORI,

MEDICINAE DOCTORI,

METROPOLIS VIENNENSIS PRO PAUPERIBUS MEDICO PRIMARIO, FACULTATIS ET SOCIETATIS MEDICAE VIENNENSIS MEMBRO ET ANTIQUISSIMAE UNIVERSITATIS VINDOBONENSIS P. T.

DECANO.

VIRIS

SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA

NEC NON

HUMANITATE ET BENEVOLENTIA

AEQUE INSIGNIBUS,

HAS PAGELLAS

VELUT

PRIMOS STUDII ACADEMICI FRUCTUS

IN

SUMMAE VENERATIONIS SINCERIQUE CULTUS

MONUMENTUM

SACRAS ESSE VULT

devinctissimus Auctor.

De peripneumonia notha Sydenhami.

Generalia.

Solum morbis fertilissimum acutis non minus ac lentis, sub omni vero respectu gravissimis et medici attentione dignissimis, pulmones praebent, organa scilicet pneumatica tantum et tam multiplicem nexum cum reliquis organismi partibus organicum ac vitalem foventia atque commercium cum natura rerum externa, cujus suspensio per pauca constans momenta, omnem quoque suspendit vitam individualem. Ideo nullo non tempore medici organorum spirantium passionibus fideli incubuere observatione ac studio, ut qui praeprimis eorumdem phlogoseos imaginem nobis tradidere lineis delineatam claris atque distinctis. Est etiam pneumonitis morbus manifestis stipatus symptomatibus, decursum exhibens non adeo inconstantem, exitus et consectaria nota, cujus et varietates et anomaliae signis incedunt propriis, pathognomonicis.

Mirum inde videretur, si pneumonitidis anomalae species aliqua, quae nobis notha dicitur, antiqui aevi medicorum penitus effugisset cognitionem, id quod eo jam imputatur antiquitati, cum haec pneumonia nomine glorietur saeculi decimi octavi, immortalis scilicet *Sydenhami.* Etsi vero naturam hujus morbi singularem nequaquam ex omni parte perspexissent, ideo quoque ejusdem rationes nonnisi ob-

scuras edidissent ac incompletas, aliquam tamen notionem quamvis succinctam jam libri *Hippocratis* continent. In operibus quoque *Celsi*, *Aetii*, *Galeni*, quasdam hujus morbi mentiones invenire licet. *Aetius* imprimis adnotat, a pituitosis cibis crudos et viscosos humores in corpore generari, qui nonnumquam in ipsos ruunt pulmones et falsam inflammationis imaginem minus expertis medicis exhibent.

Plane vero desiderantur ejusdem indicia in auctorum aevi medii scriptis, donec clarissimus *Sydenhamus* observatione ductus, firmum huic morbo vindicaret characterem ejusque rationes singulares solerti illustraret scrutinio. Hyemis initio, vel saepius ea exeunte atque nascente vere febris intercurrentis speciem oriri vidit, usque ad ver adultum persistentem, si materia morbi copiosa fuerit et symptomatibus peripneumonicis pluribus stipatam. Crassis, virilem aetatem praetergressis et spiritui vini addictis praeprimis infensa, oritur a colluvie pituitosa in sanguine adgesta et in pulmones determinata atque obscuriora febris et inflammationis signa, ac vera peripneumonia offert. In cura phlebotomia instituenda, non vero semper repetenda; catharsi potius crebriore atque diaeta refrigerante utendum.

Sub vario autem nomine ab egregiis quibusdam auctoribus saeculi praeteriti atque praesentis idem malum tractatum esse videtur, qui vero in eo potissimum discrepant, quod alii naturam huic morbo inflammatoriam vindicarent, alii vero nonnisi simplicem pulmonum infarctum dicerent, cujus causam in stagnante in vasis latice pituitoso sese invenisse rati sunt. Diversa haec indolis morbi aestimatio in therapiam quoque debuit redundare, quam alii antiphlogisticam proposuere sanguinis missione procedentem,

aliis contra rejecta hac ad roborantia, vomitoria, ad cathartica et epispastica confugientibus. Omnes vero morbi concedunt atrociam atque periculum summum, quod latens nonnunquam citra spem tollit aegrum.

Celeberrimus *Morgagni* plures narrat casus, qui initio pro adfectione catarrhali imponunt, qui vero indole dolosa excellunt, et praeter adstantium opinionem mortis discrimen adducunt. Has pulmonum adfectiones in multis signis cum malo *Sydenhami* et *Boerhavii* convenire, in aliis vero ab eodem discrepare invenit, ipse vero vix credit, eundem esse morbum. Cum vero pulmonum describit passionem a phlogosi genuina abludentem, tenacis pituitae secretione stipatam et suffocationis periculo plenam, morbi tradit imaginem ab illo *Sydenhami* non distinguendi.

Gerardus van Swieten, immortalis magni *Boerhavii* commentator, notham pneumonitidem fusius tractans, morbum esse dicit, a sanguine lenta et frigida pituita gravato et in vasorum pulmonalium angustiis haerente natum, qui ergo a peripneumonia vera potissimum per causam morbi materialem differt. Fatetur quoque, tantum, quantum in genuina pneumonitide levamen sanguinis missionem huic morbo non praestare, monens vero simul, venaesectionem haud negligendam, ubi lenitate fallaci clandestinas struit insidias, eam vero nonnisi caute repetendam. Huic quoque magnus adnuit *Stoll* de curae difficultate non minus querens.

Singulari peripneumoniae nothae naturae illustrandae plures praeterea medici ingeniosi operam navarunt et fructu haud exiguo; attamen diversas opiniones et de indole hujus morbi et de cura instituenda proferunt. Eam tractarunt *Richter*, *Vogel*, *Berends*, *Grant*, *Lieutaud*, *Fourcault*, *Brown*, *Ha-*

stings. Plurimi tamen eorum in eo consentiunt, hunc morbum incendi, ubi aegris diathesi pituitosa notatis pulmonum inflammatio accedit, quae in diatheseos istius gratiam specialem acquirit indolem.

Definitio.

Peripneumonia notha Sydenhami (a νοϑος, quod Graecis designat spurius, illegitimus), die falsche Lungenentzündung, *pneumonie fausse*, turgorem denotat continuum vel ipsam inflammationem pulmonum, quae statui supervenit pituitoso atque per hunc ipsum singulari ratione modificatur.

Sistit ergo pneumonia notha processum morbosum complicatum, ex altera parte inflammatorium, cachecticum ex altera; vita reproductiva prostrata, irritabilis eodem tempore majori nisu insurgit. Processus inflammatorius in pulmonibus in conspectum venit; cachecticus vero praeter pulmones abdominalia organa tenet, haec vix non semper conspiciuntur infarcta, uterque totum organismum in consensum trahit; inflammationi analoga incenditur febris; cachexia pituitosa laxitate undiquaque praevalente manifestatur. Elucet inde, ideam pneumonitidis nothae illam polyblenniae simul includere, et ex eo quoque patet, quantam in hujus mali genesin dispositio sibi adroget potestatem.

Placuit quibusdam, pneumonitidem notham catarrhum pulmonum definire acutum. Latius vero ejusdem notionem extendunt, cum pneumonitis catarrhosa inflammatio sit pulmonum haud anomala, sed potius normalis atque specifica quoad substratum, quae quidem semper blennimenitis, non vero necesse est, ut comite polyblennia incedat, qualem ostendit alte-

ra. Nihil vero obstat, quo minus etiam pneumonitis catarrhosa sub specie nothae possit decurrere.

Polyblennia, morbus pituitosus, juxta vocis etymon muci denotat abundantiam. Haec, tum per organorum mucum secernentium actionem peccantem fiat, membranas mucosas atque foliculos per eminentiam adfectos supponit. Ne vero quis credat, ad membranarum mucosarum passionem restringi hoc malum, quod potius omnem tenet vitam reproductivam in organismi humoribus praeprimis emergens; imo ut quibusdam placet primarie radicans in sanguine lympha spissa scatente. Talis humorum conditio eorumdem motum organicum non adficere non potest, illoque retardato, infarciuntur vasa, obruuntur organa secernentia, mutantur secreta quoad quantum non solum sed et quoad quale, relaxantur partes solidae, patiuntur vires, cachexia uno verbo producitur pituitosa.

Fontem uberrimum non solum, e quo tanta malorum copia scaturit, sed focum etiam, in quem dyscrasiae universales libenter congeruntur, organa praebent abdominalia, quae primam omnibus processus plastici productis imprimunt notam. In illis quoque potissimum fomites materiales polyblenniae emergunt; et cum ex una parte vix non semper plurimum ad hujus mali genesin faciant, ex altera etiam libenter ejus effectus experiuntur. Colluvies pituitosa in tractu intestinali praeprimis haerens, abdominalium viscerum rationes vitales turbat ac organicas, et inde est, quod eorum functionibus plus minus laesis ipsa infarcta conspiciantur.

Etsi vero his probetur, morbum pituitosum ex natura sua abdominalem esse, pulmones tamen eo magis in consensum trahere potest, cum illi magnam

non solum philadelphiam cum organis abdominalibus foveant, sed etiam talis sit eorum structura, quae congestiones ac turgores libenter admittit, muci secretioni simul vastissimum offert campum. Illa excedens tenacem pituitam in pulmones, praecipue vero in bronchia fundens eorum nisum movet, sese ab hoc obstaculo liberandi, qui per exaltatam agilitatem, per screatum atque tussim assiduum in conspectum venit. Ubi nunc agunt potentiae, sive sint externae, sive in ipsa hac lucta radicentur, quae pulmonum reactiones vitales ad majorem extollunt gradum, quae uno verbo phlogosin inducunt, haec ipsa notis singularibus a genuina atque a specifica pulmonum phlogosi abludit. Manifestantur rationes illae singulares, ubi morbi spectatur origo, praeprimis per dispositionem, sub ipso vero morbo per symptomata decursum et exitus. In omnibus vero pneumonitis notha formam sistit pneumonitidis anomalam vel potius varietatem, quae fit per ejusdem complicationem cum charactere cachectico.

Diagnosis.

Symptomata, quae ad peripneumoniae nothae cognitionem ducunt, vel ex organis per eminentiam et primitive adfectis emergunt, vel totum spectant aegri habitum, atque mala modo secundario in aliis organismi partibus mota. In genere hujus morbi diagnosis tantis non premitur difficultatibus, ubi cuncta signa rite colliguntur atque pathognomonica imprimis spectantur; ubi simul differentiae, quae hanc inter et alias pneumonitidis formas intercedunt, aestimantur.

Quae ab organo inflammato desumuntur phaeno-

mena, nonnunquam lenitate fallaci aegros decipiunt ac medicos, attamen sub morbi decursu clarius emergunt, ut nec ullum amplius dubium de indole passionis internae relinquant. Sunt haec aut generalia omnis phlogoseos signa, aut per organi functionem laesam manifestantur, attamen in gratiam complicationis quasdam notas induunt singulares.

Pectus oppressum, et quidem in omni thoracis parte sensus percipitur obtusus, gravans; dolorem vero fixum in certa pectoris regione non possunt adsignare, iste potius vagus, rheumatico non adeo absimilis, ut, tum eum in una parte definiunt, jam et percipiatur in altera; quoad indolem non tam acutus, gravedine potius molestus.

Respiratio est difficilis, sibillosa et strepera, sub quovis motu augetur dyspnoea et spiritus crebrius ducitur ac celerius. Non vero sub omni morbi stadio tantae respirii difficultates observantur, initio morbi praeprimis anhelitus quandoque desideratur, ubi vero mucus tenax sensim bronchia obsidet et vascula implet aërea, breviora fiunt respirationis momenta, sonum simul peculiarem edentia, illi, quem aqua bulliens causat, non absimilem. Tum singularis quoque constrictionis sensus aegros vexat et monet *Sydenhamus*, pulmonum coarctationem adstantium auribus percipi posse. Quamprimum aeger tussit, haec omnia exasperantur. Ad vesperas ac de nocte asthma nonnumquam accedit symptomaticum, spirandi nempe difficultas gravior ac subitanea, cum sensu angustiae majori, anxietate magna et metu suffocationis. Molestissimum hunc sensum aegri mutato situ vincere conantur, erecto inde corpore ac pectore elevato respirant, quin vero dyspnoeam haec situs mutatio semper lenire queat. Quoties tum spiritum trahunt, illico

tussiunt; atque per tussim vehementem omnium cruciatuum patiuntur augmentum.

Tussis pertinax et vehemens ab initio ad finem usque morbum comitatur. Primo tempore haec nonnunquam deprehenditur sicca, nihil ejiciens, postea vero semper humida cum sputis albicantibus, viscidis, tenacibus, mucosis vel et spumosis, quae cruore quandoque rubro fusco tinguntur, atque sub morbi incremento aegerrime et sine levamine ejiciuntur. Gravissime aegri patiuntur sub tussi, ut dolores adcusent vehementissimos et pectoris constrictionem summam; imo tussis quandoque adeo impetuosa, ut vomendi conatus excitetur et ipse insequatur vomitus. Non vero et desunt casus, ubi per vomitum magnam copiam pituitae ejectam esse et inde pneumoniam ipsam levamen duxisse observatum est.

Haec sunt, quae ad pulmonum passionem spectant symptomata, non quidem semper omnia eodem tempore praesentia; attamen vix unquam in omni morbi stadio absentia. Accedunt plura adhuc et nonnulla pathognomonica e virium lucta et organorum philadelphia progredientia.

Febris plerumque mitior, typo remittente, virium languore, defatigatione facili, horripilationibus vagis et inquietudine nocturna exordiens. »Aeger« *Sydenhamus* dicit »primo febris insultu nunc incalescit nunc friget et intercepta sub decursu circulatione sanguineque quasi praefocato nulla fere febris indicia sunt.« *Stoll* quoque motus febriles adeo leves esse invenit, ut ejus indicia vix moneant periculi, ejusque invasionibus leviusculis nonnunquam subito crescente anhelitu et debilitate mors supervenit, cujus in urina et pulsu vix ullum adfuit praesagium.

Morbo adolescente et praesente orthopnoea et

tussi motus febriles quidem magis in conspectum veniunt, quin tamen unquam ad eum vehementiae gradum ascendant, ac in pneumonia genuina. Sensus obtusus et plenitudinis in capite atque vertigo transit in cephaleam lancinantem, quod quidem symptoma fidelis peripneumoniae nothae comes est et aegros, imprimis tum tussiunt, adeo vexat, ut manubus caput comprimant atque dolorem adcusent molestissimum, ac si caput in partes dissiliret. Facies laxa, pallida, inflata, post pastum fugaci rubore nonnunquam tincta; sclerotica a quibusdam flavide decolorata inventa fuit. Lingua muco viscido obducta, faucium ariditas, sapor limosus, adpetitus prostratus, sitis quandoque modice aucta, quandoque magna. Deglutitio orthopnoeam auget, tussim movet, quae nonnunquam in vomitum abit, ut inde nutrimenta consumta mox iterum ejiciantur. Pulsus morbi initio vix frequentior, mollis, sub decursu tangitur plenus, quandoque durus, vel etiam suppressus et parvus. Urina turbida cernitur et intense rubens. Alvus plerumque pigra. Haemorrhoides tumidae a quibusdam observatae sunt. Conditio cutis sicca ejusque calor non multum auctus, unguium et labiorum livor atque frigus extremitatum quandoque accedunt. Ubi vespere morbus exacerbatur, aeger quoque magis incalescit.

Ad roborandam diagnosim respectus causarum disponentium nec non excitantium plurimum valet.

Analogiae et differentiae.

Per ipsa symptomata, quae peripneumoniae nothae imaginem constituunt, satis jam elucet, quomodo se ad pneumonitidem veram ejusque formas et anomalias habeat, quibusve notis prae illis excellat. Ne-

que facile est, notham cum plerisque harum confundere, quippe quae per statum pituitosum in toto aegri habitu ipsisque pulmonibus emergentem sat clare distinguitur.

Frequenter tamen notha pneumonitis cum catarrhosa confunditur, neque negari potest, magnam inter utramque esse analogiam. Non solum catarrhus notham haud raro praecedit illamque sequitur, sed et quoad originem, symptomata et decursum magnam inter utramque germanitatem observare licet. Hoc imprimis de pneumonitidis catarrhosae stadio secundo sive blennorrhoico valet, ubi secessus sputorum mucosorum comite levissima febricula per aliquod tempus continuant. Ipsa porro catarrhosa, quae subjecta adgreditur polyblennia notata, indolem nothae induit et qua talis omnino considerari debet. Attamen genuina pneumonitis catarrhosa a notha sequentibus differt: Status pituitosus in illa nequaquam uti in hac essentiale morbi criterion, ideo praeter territorium pulmonale reliqua organa plus minus relinquuntur intacta; sputa in illa magis spumosa, in hac vero tenacia, ductilia, aegrius ejicienda, inde in illa repentinae mortis periculum rarius. Febris in illa, etsi mitior sit, ac in vera peripneumonia, magis tamen conspicua ac in notha, atque proprium agnoscit characterem inflammationibus catarrhosis convenientem. Haec signa rite pensitata et cum causis producentibus comparata facile conjicere sinunt, notham neque tamquam catarrhum acutum neque chronicum, uti quibusdam observatoribus placuit, esse considerandam.

Cum asthmate spastico, si respirationis difficultas subitanea, anxietas magna et metus suffocationis spectantur, peripneumonia notha aliquam ostendit similitudinem, atque ipse *Sydenhamus* monet, differre ab

asthmate sicco, quocum confundi posset, per constantem in hoc symptomatum absentiam, quae pulmonum inflammationem et comitem febrim enuntiant. Asthma imprimis pituitosum in stadio remissionis plura offert phaenomena nothae pneumonitidi aliquomodo analoga. Differt vero omne asthma a hoc malo per accessus repentinos, intermissiones luculentiores et majoris extensionis, per absentiam febris et conditionem cutis et urinae spasmis convenientem.

Phthisis pituitosa et hydrothorax, quae nonnumquam e pneumonia notha evolvuntur, propriis suis phaenomenis ab eadem differunt mox exponendis.

Decursus et exitus.

Nothae decursus a diversis observatoribus diversus notatur, ita quidem, ut sint, qui eam modo post primordia praecipiti cursu pericula movere atque aegrum cito in mortis agonem ducere contendunt, cum illa aliis nonnisi pedetentim adolescere visa sit, atque prodromorum praeprimis stadium longius extendere. Ad hanc observationum diversitatem plurimum contribuere debuit, quod nomine peripneumoniae nothae diversas comprehenderent pulmonum passiones citius vel serius decurrentes, quo nomine modo catarrhum acutum, modo chronicum, modo lentam pulmonum inflammationem, modo adfectionem eorundem paralyticam ornaverunt.

Haud exiguas omnino difficultates inveniet, qui temporis spatium velit definire, per quod notha extenditur atque determinare dies, quibus vel organismi viribus cedit, vel minus optatus ponitur morbo terminus. Primum morbi stadium non raro praetervidetur. Adparet quandoque sub forma adfectionis ca-

tarrhalis, vel ipse praecedit catarrhus, nunquam vero morbi initio symptomata adeo urgent, ut periculi instantis nasceretur metus. *Sydenhamus* hanc morbi periodum febrim vocat hyemalem, quam a notha nonnisi gradu differre dicit, ubi passione thoracica nondum evoluta, absente praeprimis pectoris coarctatione et dolore capitis, leviusculi febris insultus aegrum tenent; quamque a frigore suscepto subortam, si negligitur, longam ineluctabilium malorum seriem post se trahere monet.

Morbo adolescente symptomata numero augentur et intensione atque pneumonitis notha tamquam morbus explicatur autonomus. Attamen et huic stadio nullum extensionis praesagium rite statui potest. Cum plerumque senes et homines temperamenti phlegmatici, constitutionis laxae infestet, ex eo jam naturae vires minori fructu contra morbum insurgunt. Decurrit pneumonitis in hoc morbo complicata cum charactere cachectico, qui eodem nisui in salubres contra morbum reactiones eo plus demit, quo minoris vehementiae lucta sit in systemate irritabili et quo majora ponantur obstacula in organorum pneumaticorum penetralibus. Haec ipsa vero nonnunquam citissime infausto omine terminum morbo ponunt, ubi naturae viribus non amplius vincenda morbum et aegrum suffocant.

In genere vero praedicare fas est, peripneumoniam notham, ubi omnia absolvit stadia, passu tardiori incedere ac genuina, atque crises, si quae hunc morbum judicant, salutares serius contingere. Ad diem 11., 14., 17. plerumque extenditur, ubi vitae virium conamina morbum vincunt, nisi prius jam iniquae sorti subcumbat aeger.

Exitum notha triplicem agnoscit: in sanitatem, in posthuma et in mortem.

Spes recuperandae sanitatis rarius affulget in hoc morbo, cum aegri constitutio peccans, organismi vires minus expeditae et insidiosa morbi natura maxima huic non raro ponant obstacula. Ubi vero circumstantiae faventes concurrunt, atque medela adaequata prompte adhibetur, optatissimo hoc exitu omnino terminatur. Remittunt tunc post febris insultum validiorem circa diem 7. vel 11. symptomata pulmonum passionem spectantia, imminuitur dyspnoea atque larga ingruit anacatharsis, sputa crassa, figurata, tremula, in fila ductilia ejiciens, qua ipsa tussis facilitatur. Quandoque per vomitum magna educitur quantitas materiae mucosae, simulque oppressio pectoris et tussis levantur. Decrescunt eodem tempore symptomata in reliquis organismi partibus, pacatur capitis dolor, disparet febricula, in urinis hypostasis observatur albida, virium vero languor sat diu persistit. Per septimanas generatim morbus in decremento versatur, membranae mucosae insigni laxitate stipatus atque facillime in pertinacem aberrans catarrhum. Convenit etiam pneumonia cum adfectione catarrhosa in eo, quod eundem morbum recidivantem libenter admittat, quodve eo semel exantlato jam et proclivitas lateat accedente prophasi hoc malum facillime revocans. Quocumque vero modo dispareat, reconvalescentia nonnisi tardiori passu procedit atque pulmonum functio et vires vitales post longius temporis spatium penitus in integrum restituuntur.

Mala posthuma, quae morbum Sydenhami libenter excipiunt, sunt phthisis pituitosa et hydrothorax.

Phthisis pituitosa, nothae pneumonitidis exten-

sione praeprimis peccantis vel neglectae frequens consectarium, seniculis praecipue infesta aegris e morbo primario evasis tristissimam parat sortem. Primo catarrhi chronici faciem induens, decursum observat irregularem, frequentes amans intermissiones. Postea vero tussis assidua vespere magis urget cum dolore thoracis premente, nonnunquam ulceris quasi interni sensu. Respiratio sibillosa, saepius fere asthmatica, vespere et nocte orthopnoea. Sputa copiosissima, flavo - viridia, tenacia atque ductilia magna virium intentione et sine levamine ejiciuntur. Increscente emaciatione et virium languore insigni accedunt extremorum frigus maximum, stertor ingens, anxietas summa et moriuntur miseri plerumque suffocati, vel quandoque placida morte per liquationem.

Insidias non minus graves hydrothorax struit, qui quandoque notham excepisse observatus est et cui omnino temperamentum aegri frigidum et constitutio laxa favent. *Sydenhamus* expertus est, notham frequenter in hoc abire consectarium, quae abusu spirituosorum inducta fuit, in cujus vero cura derepente ab omnibus vinosis abstinetur. Incedit pectoris oppressione atque respirii difficultate, eo vero a phthisi pituitosa discrepans, quod corpore elevato anxietas levetur, quod nullas admittat intermissiones, tantam pituitae copiam non educat, ipsaque sputa tenuiora sint, spumosa, quodve plerumque reliqua hydropis symptomata accedant, facies leucophlegmatica, sitis magna, urinarum parcitas et extremorum oedema. Simili modo terminatur in mortem vel suffocativam vel colliquativam.

Ipsa pneumonitis notha aegris frequenter interitum parat, quae gravior constitutioni supervenit admodum vitiosae, vel neglecta, vel male tractata ple-

rumque miseros letheis adducit undis. Ubi tanta pituitae tenacis copia obruuntur pulmones, ut per eorum nisum non amplius possit eliminari, praegresso sopore, labiorum et unguium livore, anxietate summa et artuum frigore morte suffocativa pereunt, quae vero nonnunquam et sine prodromis et citra spem repentino accessu aegrum extinguit. Mors improvisa quandoque etiam e pulmonum paralysi oritur assidua in obstacula reactione exhaustorum.

Frequens praeterea mortis ratio apoplexia serosa est ex impedimento, quod circulationi in pulmonibus ponitur, invincibili orta. — Cadavera hoc morbo peremptorum pulmonum substantiam jecinoris ad instar infarctam et duram, bronchia muco plena, adhaesiones pleurae et viscerum abdominalium emphraxes exhibent.

Aetiologia et nosogenia.

Quae ad notham *Sydenhami* disponunt momenta, non solum ad hujus morbi diagnosim frequenter ducunt, sed etiam singulari illius naturae perspiciendae quam maxime inserviunt. Sunt vero sequentia:

Aetas provectior et sexus virilis. Pueris et foeminis hunc morbum rariorem esse *Van Swieten* et *Stoll* adnotarunt, quia minus firma illis vasorum est compages, ideoque fluida contenta minus condensantur. Aetas vero provectior ob virium vitalium decrementum praevalente metarmorphosi reducente et sexus virilis ob majorem in phlogoses nisum in hoc malum disponi videtur.

Magna porro momenta proëgumena largiuntur: temperamentum phlegmaticum, in quo materia organica ad minorem elaborationis gradum ascendit; vi-

tae genus, ut vita deses, abusus ciborum pinguium, caseosorum, farinaceosorum, potus crassi, vinosi, praeprimis abusus cremati. Disponunt quoque obstructiones viscerum abdominalium et diathesis verminosa priorum momentorum plerumque effectus et prae ceteris habitus pastosus, laxus, pituitosus, frigidus, unde jam *Hippocrates* dixit, eos quibus frigidum est corpus spirandi difficultate et catarrhis tussiculosis vexari.

Huc quoque referuntur morbi quidam praegressi et praesentes. Pertinet ad primos notha jam saepius exantlata et catarrhus, cui sicuti etiam asthmati et hydrothoraci notha pneumonitis sese non raro adjungit. Spectant huc etiam tempus vernale et autumnale, quibus nonnunquam epidemice grassari visa est.

Cum ad morbi cognitionem constitutio aegri ac habitus haud exigui sint momenti, non abs re esse videtur, habitum pastosum, pituitosum et frigidum quibusdam saltem lineis adumbrare. Illum enuntiant: Facies pallida, tumidula, oculi languidi, nares imperviae, muco repletae, lingua mucosa, adpetitus prostratus, vel et desiderium ciborum farinaceorum, sitis modice aucta, frequens raucedo, respiratio sonora, stertor, sensus gravitatis in pectore, abdomen expansum, tumidum, hepar, lien turgida, sensus oppletionis et ponderis in ventriculo, alvus plerumque pigra, quandoque diarrhoea, urinae pallidiores turbidae. Adspectus aegri laxitatem ubique praevalentem prodit, vires vitales languent, motuum torpor, facilis defatigatio, ipse animus inertia premitur. Haec phaenomena computanda veniunt, cum illis aetatis provectioris, ubi eum constituunt habitum, qui accedente prophasi libenter in notham excandescit.

Causas occasionales omnes esse *Boerhaave* dicit, quae stagnantia cito movendo in pulmones agunt. Tales sunt: cursus, vociferatio, cantus, major ciborum moles ingesta, ebrietas imprimis a valide calefacientibus, calor foci, balnei, solis, maxime si aestum inde natum subito frigus ingens exceperit. Sub epidemia vernali vel autumnali temperaturae vicissitudines repentinae et disponentis et excitantis momenti vices gerunt. Haec vero omnia renisum vitalem in pulmonibus intendere et absente diathesi pituitosa eorumdem inflammationem veram et legitimam facillime producere, haud arduum erit concludere.

Quomodo nunc per concursum utriusque momenti disponentis et excitantis processus ille ponatur et qualis sit ejusdem natura, nunc esset illustrandum. Hoc vero negotium maximis premi difficultatibus facile intelliget, qui differentes circa hunc morbum summorum auctorum computat observationes, et ipsum processum morbosum organismi penetralibus absconditum nonnisi conjecturas admittentem. Cel. *Grant* et *Sundelin* notham morbum compositum esse dicunt e morbo universali, praevalente nempe sanguinis charactere venoso, constitutione ut ajunt phlegmatico venosa et locali pulmonum adfectione. Per hanc complicationem in ipsis pulmonibus vel eorumdem membrana mucosa processus oritur secretorius, qui per sanguinis crasin anomalam modificatur et proprie processum sistit pseudocriticum, qui in alia membranarum mucosarum provincia, in tractu fors intestinali obtinens secretionem efficeret salutarem, qua morbus ipse levaretur. In pulmonibus vero ad hunc processum non dispositis respirationem, sanguinis vivificationem et circulationem impedire de-

bet et talia inde producere phaenomena, quae sub pneumonitide notha veniunt observanda.

Quamvis haec morbi idea nequaquam ex omni arrideat parte, sequentia tamen fors huc referri possunt:

Omnia momenta ad hunc morbum disponentia in eo conveniunt, ut vel metamorphosim vitalem reducentem praevalentem, vel producentem languentem inducant. Effectus inde oriundi in toto corpore conspicui omnino etiam sanguini imperfectionis notam imprimunt, quippe qui minus elaboratus ad fibrae et cruoris dignitatem non extollitur. Hoc vitium, spissitudinem mucosam a veteribus minus apte dictum, tardum sanguinis circuitum, languentem caloris, irritabilitatis et sensilitatis regenerationem, imperfectam solidorum nutritionem, praevalentem in secretis muci et glutinis rationem sequi, immortalis docet *Hartmann.* Cum omnis secretio et ipsa nutritio, quae speciem involvit secretionis, plus minus aberret, hoc imprimis de functione membranarum mucosarum valet, quae energia vitali destitutae nec quantitatem nec qualitatem secreti ad normam dirigere possunt, et quidem hoc in omni earum provincia valet, cum omnes singulari philadelphia inter se conjungantur. Dummodo potentiae nocentes respirationis organa feriunt, in iisdem nulla adhuc labe notatis inflammationem veram producendo pares, earumdem tamen effectum plenum pulmones experiri non possunt vitae inertia peccantes. Reactio erga vitalis ad majorem inflammationis gradum non ascendens continuum potius turgorem fovet et hac ratione secretio membranae mucosae, quam inflammatio intensior potius suppprimeret, eadem mitiori quam maxime intenditur, pituitam tenacem magna copia fundens. Tale

impedimentum omnes pulmonum functiones perturbans, illa provocat phaenomena, quae sub notha observantur. Qualis nunc sit ratio symptomatum illius pathognomonicorum, decursus anomali, periculi majoris et posthumorum haud difficile colligitur et prius jam commemoratum est.

Prognosis.

Ubi de futura aegri sorte sub pneumonitide notha decernitur, quam maxime necesse est, ad omnia momenta hoc malum inducentia et foventia animum dirigere, neque oblivisci, morbum hunc ob indolem insidiosam et curae difficultatem sub omni respectu discrimine plenum saepius jam citra expectationem aegrum e medio tulisse.

Laetioris eventus spem foverent: Constitutio aegri minus peccans, habitus pituitosus nondum in omni compage organica expressus, nulli pulmonum morbi praegressi, causae excitantes cognitae mitiori modo agentes, absentia symptomatum graviorem in organis respiratoriis luctam prodentium et cura conveniens prompte instituta. Attamen etiam sub tali rerum positione non silet metus periculi, quod latens nonnunquam citissime vitae discrimina movet.

Admodum vero ominosa et plerumque lethifera pneumonitis notha censetur, quae seniculos infestat, vel alios habitus pastosi, pituitosi, frigidi in omni organismo emergentis, quae pulmones tenet laxos, catarrhis frequenter obnoxios, quae incenditur causis valide agentibus et fovetur temporis constitutione maligna, quae decurrit symptomatibus gravioribus, vel complicata cum malo hepatis, ventriculi, intestinorum, adfectionibus rheumaticis, capitis et aliis, quae

ob fallacem sub exordio lenitatem praetervidetur vel negligitur. Auget discrimen hujus morbi summa in tractando difficultas, cum duplex hic respiciendum momentum, alterum inflammatorium, cachecticum alterum non raro curae utrique convenienti magna ponat obstacula.

Cura.

Practici omnes, quibus pneumonitidem notham sporadice vel epidemice decurrentem observandi data fuit occasio, in eo consentiunt, malum esse curatu difficillimum, cum generales, quae inflammationis curam dirigunt, regulae et speciales, quae pneumonitidi conveniunt, ob coëxistentem statum pituitosum quam maxime modificantur.

Directae curae, quae causam efficientem amovere studeat, rarissime locus conceditur; causa enim morbum producens, etsi nota vel non potest amoveri, vel ea amota effectus perstant secundarii therapiae indirectae necessitatem expetentes.

In hac vero princeps medelae scopus in eo versatur, ut justo uberior pituitae secretio infringatur, ejus qualitas tenax corrigatur, atque ejectio per sputa facilitetur, ut praedominans compagis solidae atonia emendetur, talique pacto omnes illae tollantur conditiones, quae anomalam hanc sustinent pneumonitidem, respiciendo prae aliis pulmonum statum phlogisticum et evitando omnia irritamenta pulmonibus inimica. Hisce indicationibus medicorum experientia varia ratione satisfacere studuit atque sequentia sunt, quibus hoc malum fructu plus minus conspicuo adgressi:

Venae sectio. Praestantissimo huic remedio in

notha diversi observatores diversum tribuere laudem. Celeberrimi in arte viri *Sydenham, van Swieten, Stoll* difficultatem hujus remedii sincere confessi, monent ut caute adhibeatur, ne vires vitales exhauriantur. Haud raro enim observare potuerunt, phlebotomiam saepius repetitam, febricitantium iis, qui crassiore sunt corporis habitu, pessime cessisse, ideoque ab ejusdem repetitione timentes ad catharsin potius crebriorem confugiebant. Venaesectionem itaque, clarissimus *Stoll* hortatur, tunc in notha esse instituendam, si constitutio plethorica et valida febris eam expeterent. — Therapia rationalis ad omnia morbi momenta respiciens phlogosin certe vel assiduum in pulmonibus turgorem non debet negligere. Venaesectio itaque in notha nunquam omittenda, ubi praesente febri, stertore, anxietate et suffocationis metu aegrum infestante princeps et vix non unicum sistit remedium. Neque conditio pulsuum sub hac rerum positione ab eadem medicum debet absterrere, cum illa haud raro in hac pneumonia infidam largiatur indicationem. Ubi vero de venaesectionis agitur repetitione, monita *Sydenhami* et *van Swieten* sequi oportet, eaque caute mercandum est symptomatibus nonnisi urgentibus reservata.

Topica sanguinis depletio per hirudines vel cucurbitas cruentas a *Lieutaud* commendata, ubi universalis sanguinis missio non indicatur, omnino conducere potest, imprimis si ejus quoque effectus epispasticus spectatur, nunquam tamen urgente casu eadem ac venaesectio praestare potest.

Remedia quod attinet interna, methodi nonnullae medendi et medicamina quaedam singulari laude in notha pneumonitide praedicata, mentionem merentur fusiorem.

Cum notham ceu effectum secretionis pseudocriticae in pulmonibus contemplarentur, in id dirigebant curam, ut in alia membranae mucosae provincia in tractu v. c. intestinali secretionem producerent vicariam, qua illa vel impediatur, vel si jam orta saltem derivetur. Hinc purgantia excitantia, imo drastica in primo nec non secundo morbi stadio porrigunt: fol. Sennae, infus. lax. Viennense, Aloën, Jalappam. Ipse *Sydenhamus* vena secta optimo cum effectu purgans adhibuit. Drastica vero, cum ex altera parte nonnisi torpidis conveniant individuis, ex altera vix pulmonum phlogosin tollere valent, et purgantia, quamvis rite adhibita ad morbum debellandum optime contribuant, sola tamen vix unquam desideratum praestant effectum.

Altera methodus, qua medici praeprimis recentiores omnem peripneumoniam adgressi sunt, est emetica. Italis imprimis medicis ac Helveticis tartarum emeticum in hoc morbo magnis encomiis extollere placuit, quem sanguinis circuitum in abdomine impellendo, itaque pulmonum turgorem levando, digestionem et chylificationem infringendo, sicque vitam plasticam exorbitantem deprimendo magna praestare contendunt. Talem ergo hujus remedii instituunt usum, ut a granis sex ad quindecim imo plura per nychthemerum exhibenda ascendant.

Quin generales ad peripneumoniam tartari emetici rationes disquirere velim, in notha tamen virtute nequaquam destituitur, attamen ejus usum limitibus circumscribere, ratio et experientia suadent. Fracto itaque per adminicula congrua phlogoseos impetu ea ratione adhibendus est, ut incipiatur a dosi minori, grano dimidio vel integro paulatim ad majores ascendendo, quarum sub omni pneumonia tole-

rantiam omnino admirari licet. Monet vero celeberrimus noster Professor *nobilis ab Hildenbrand*, admodum ingenue, emolumentum, quod ipse sub tali rerum positione expertus est, ex antagonistica quam stimulus emeticus in ventriculi membranis efficit reactione, e specifica metasyncrisi blandaque promotione anacatharseos et sudorum potius, quam a viribus directe deprimentibus sive contrastimulantibus, ut ajunt, intelligendum.

Notandum vero simul est, emetica ob ipsam qua emesin cieunt virtutem quandoque in notha quadrare. Ubi enim phlogosi jam silente tenax pituita bronchia obruens suffocationis movet metum, a vomitorio prompte substituto eo magis adhuc sperandum est, cum ipsa natura per vomitum quandoque levamen haud exiguum adduxisse visa sit. Ipse celeberrimus Batavus primus nothae observator, vomitum emetico inductum reliquis adminiculis non neglectis in plurimis casibus sibi profuisse testatur. Indicatur ergo vomitorium in pneumonitide notha, ubi febri mitissima inania conspiciuntur vomendi molimina, expectoratione simul inerti, ubi per vomitum ingesta jam fuere rejecta, ubi gravior in epigastrio inter tussim dolor de nota gastrico - saburrali vel biliosa movet suspicionem.

Egregia *Stibii* praeparata excellunt virtute, quam prae ceteris membranae mucosae cutis externa ejusque vasa resorbentia et secernentia experiuntur, quam etiam in expedienda secretione cutanea, mucosa et serosa, in promovenda humorum per vasa reductione medicorum experientia satis confirmavit. Eo magis in notha conveniunt, cum nisum quoque plasticum coërceant, materierum organicarum cohaesionem imminuant, membranae mucosae relaxationem corrigant

et sputorum expediant ejectionem. Debito ergo ad indolem morbi inflammatoriam semper habito respectu, in stadio praeprimis morbi altero antimonium crudum, sulfur auratum antimonii, Kermes minerale summi valoris largiuntur remedia, quae dosi aegro et praeparato singulis conveniente adhibita laudibus, quibus extolluntur, omnino respondent.

Sulfur quoque, quod *Stibii* praeparata pleraque ingreditur, ob singularem, qua membranae mucosae, vasorum lymphaticorum et sanguiferorum atque cutis externae vitam sollicitat, virtutem celebratur et ob blandum, quo secretionem mucosam expedit, stimulum, expectorationem facilitat, crisin cutaneam adjuvat, utique adhiberi meretur.

Nec in hoc morbo *Muriati Hydrargyri miti* encomia desunt, quae haud injusta videntur, si magna ejus respicitur vis, qua nisum plasticum constanter deprimit, materierum cohaesioni majori et nisui in coagula morbosa resistit, alvi fluxui simul favens.

Plura adhuc habentur remedia in notha virtutis comprobatae, quorum actionem praeprimis membranae mucosae experiuntur. Eo vero eorum innititur efficacia, ut membranae mucosae laxitatem et secretionem emendent, statum pituitosum corrigant et prae ceteris cohibeant, ne membranae mucosae relaxatio finita pneumonia in posthuma abeat mala. Plurima eorum pulmonibus quam maxime amica huic morbo prae reliquis placent. In eorum usu ratio suadet, ut incipiatur a mitioribus et paulatim ad efficaciora ascendatur. Complicationes praeterea vel aliae circumstantiae unum alterumve prae ceteris amplecti monent. Primo ergo subministrantur: Sal ammoniacus pulmonibus admodum amicus, Oxymel squilliticum, Polygala Sennega, Lichen islandicus, quo imprimis la-

xo et imbecilli pulmoni medetur. Ascendatur ad pulveres *Doweri*, caules dulcamarae, Scillam, gummiferulacea, flores Arnicae, spiritum salis ammoniaci aquosum et anisatum atque flores Benzoës.

Neque desunt in therapia pneumonitidis nothae vesicantia ad pectus adplicata, neque vapores aceti spiritu adtrahendi, neque sinapismi et cataplasmata, quorum omnium indicationem casus dirigit individualis. Ad alvum tardiorem eluendam purganti optime clysma laxans substituitur.

Curam hujus morbi suffulcit et sanationem promovet adaequatum regimen diaeteticum. Aeger verbis et motibus corporis, quousque licet, parcens ipso jam morbo in lecto tenetur, versetur in aëre puro temperato, victu utatur parcissimo, mucilagine hordei, oryzae, ptisana e liquiritia, infuso herbae Althaeae tepidis; abstineat a carnibus earumque jusculis et a spirituosis quibuscumque. Haec vero, ubi laeta ingruit convalescentia moderamine indigent, ubi juscula et panatellae, fructus cocti, tandem et vini pauxillum cum pane biscocto debita circumspectione concedi possunt.

Mala posthuma pneumonitidem notham excipientia perquam funesta, tractamen characteri suo adaequatum expetunt. Attamen plerumque minus agitur de cura sanationis spem fovente, quam de mortis praecrastinatione et de mitigatione cruciatuum. Sub phthisi ergo pituitosa cura contra blennorrhoeam dirigenda et continuanda remedia supra memorata, quandoque cum roborantibus et adstringentibus jungenda. Hydrothorax vero laticis stagnantis eductionem postulat, quam diureticis, purgantibus et revellentibus praestare adnitimur.

Melius vero aegro medicus consulet, qui ad mala posthuma semper adtentus iis quousque licet praecaveri studet et congruo tractamine prompte instituto laete convalescentem a letheis adhuccdum tuetur undis.

Auctores.

Sydenham in observationibus medicis circa morbos acutos. Tom. I. Cap. VI.

Gerardi van Swieten commenta in Boerhaavii aphorismos Tom. II.

Morgagni De causis morborum. Nosographia Valisnerii, Corallii.

Mimiliani Stoll Aphorismi de cognoscendis et curandis febribus.

Lieutaud Synopsis medica.

Büchner Dissertatio de peripneumonia notha. Hallae 1757.

Tymkowsky Dissertatio de peripneumonia notha. Lugd. Batav. 1765.

Brown Dissertatio de peripneumonia notha. Edimb. 1793.

A. G. Richter, specielle Therapie 1. Bd.

S. G. Vogel, Handbuch der practischen Arzneywissenschaft. 4. Th. 7. Cap.

C. A. W. Berends Vorlesungen über pract. Arzneyw. herausgegeben v. D. *C. Sundelin*. 4. B.

3

D. Grant, Beobachtungen über Natur und Heilung der Fieber.

Valentini nob. ab Hildenbrand, Institutiones pyretologicae continuatae et usui academico adcommodatae a filio *Francisco nob. ab Hildenbrand*. Tom. I.

Fourcault, Considerations sur la pneumonie fausse. Paris 1814.

Theses defendendae.

I.

Medicus rationalis theoria carere nequit.

II.

Nulla vero datur theoria vera, experientia non suffulta.

III.

Medicis tironibus lectio ephemeridum medicarum haud utilis.

IV.

Studia mentem roborant, corpus infirmant.

V.

Non dantur *morbi* haereditarii.

VI.

Psychrolusia proficit in adfectionibus catarrhalibus.

VII.

Tartarus emeticus in peripneumonia remedium anceps.

VIII.

Habitus corporis externus ad morborum diagnosim plurimum valet.

IX.

Morbi saepenumero remediis psychicis sanantur.

X.

Medicina publica ad civium salutem summe necessaria.

XI.

Vinum longaevitati et favet, et obest.

XII.

Nulla mors in rerum natura.

VINDOBONAE 1835.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.